



1. Disputatio de Providentia
2. Disput. de Vera Dei Invocatione.
3. Themat. (1) de Verbo Dei. (2) de Deo ipso.
4. De peccato.
5. De justificatione et bonis operibus.
6. De communicatione idiomatum.
7. De claribus regi caelorum.
8. De precibus capitibus doctrinae evangelicae.
9. Apologia verae doctrinae de definitione evangelij.
10. De persona Christi, de unione personali in Christo, de unione
sui communitate: veray presentia corporis et
sanguinis Christi in cena.
11. De peccato originis.
12. De Crucifixo.
13. De summa doctrinae Ecclesasticae.
14. De duabus naturis in Christo.
15. De cena Domini.
16. De visitatione ecclesastica.

Conciones.

1. Luc. 12. Unde dicitur non dicitur dicitur dicitur etc.
2. Luc. 27. Unde dicitur dicitur dicitur dicitur etc.
3. Matt. 24. Unde dicitur dicitur dicitur dicitur etc.
4. Matt. 11. Unde dicitur dicitur dicitur dicitur etc.
5. Cor. 11. Unde dicitur dicitur dicitur dicitur etc.
6. Ps. 133. Unde dicitur dicitur dicitur dicitur etc.

15
DE DVABVS

NATVRIS IN CHRIS-
STO, DIVINA ET HV-

MANA, EX DICTO PAULI,
AD PHILIPPENSES 2.

THESES

QVAS

SVB AVSPICIO OMNIPO-
TENTIS DEI:

PRÆSIDE

SAMVELE FISCHERO, D.

PRO SVMMO IN THEOLO-
GIA GRADV CONSEQVENDO,
publicè tuebitur

REVERENDVS ET CLA-
RISSIMVS VIR, DN.

M. ANTONIVS PROBVS
STOLBERGENSIS, ECCLESIAE
Vinariensis Pastor, ac reliquarum, in Illustrissimo
SAXONIAE Ducatu Superintendens Genera-
lis, & Consistorij Vinariensis Af-
fessor &c.

*Die Maij 4. hora & loco
consuetis.*

J E N Æ

Typis Tobia Steinmanni.

ANNO M. D. XCIII.

Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is mirrored and difficult to decipher due to fading and the texture of the paper.



THESIS I.



NOBILISSIMA ET CELEBERRIMA D. PAULI SENTENTIA DE CHRISTO, extat in Epistola ad Philipp. cap. 2. his verbis: Qui cum esset in forma DEI, non rapinam arbitratus est, quod esset æqualis DEO. Sed semetipsum inaniuit, forma servi sumta, in similitudine hominum constitutus, & figura repertus est, ut homo. Humilem præbuit seipsum, factus obediens usq; ad mortem, mortem autem crucis. Quapropter & DEVS illum in summam extulit sublimitatem, ac donavit illi nomen supra omne nomen, ut in nomine IESU, omne genu se flectat, cœlestium ac terrestrium & inferorum, &c.

II.

De hujus loci Apostolici, qui unus est ex præcipuis de CHRISTO annotatis, explicatione quæritur: Cuius interpretacionem ex patribus variam prius recensebimus; & postea subjicemus, quæ nativa sit & genuina eiusdem sententia, recepta in Ecclesiæ Augustanæ Confessionis, Anno &c. 30. exhibitæ.

III.

In secundo Capite Epistolæ ad Philippenses, Apostolus instituit adhortationem, ad tuendum consensum in doctrina, & ad retinendam concordiam, quæ *κενοδοξία* & ambitione, non raro miserè turbatur: Et opponit ambitioni exemplum humilitatis in CHRISTO, quo nullum neq; in cælo neq; in terra potest esse maius, neq; illustrius, neq; efficacius, ad animos hominum amoris vinculo copulando. Et hac occasione tradit salutarem doctrinam de CHRISTI divinitate, potentia, humilitate, passione, resurrectione, glorificatione, regno, deq; origine ac fonte totius nostræ salutis.

A 2

Quemadmo-

*Vlt & proprie-
tas verborum
maxime in hac
disputatione spe-
ctata a veteri-
bus.*

IV. Quemadmodum verò, qui de aquarum natura iudicant, earum saporem gustu experiuntur, perspicuitatem aspectu probant, & ex quo fonte orientur, diligenter attendunt: Ita vetustas in huius sententiæ Paulinæ expositione primum omnium verborum pondus vim & proprietatem, quam Paulus hoc loco exprimit, vult attendi.

V.

*μορφή non
significat Ideam
Platonicam.*

V. Nam cum inquit Apostolus ὅς ἐν μορφῇ θεῶ ὑπέσχετο, sentiunt Patres non philosophicè intelligendum vocabulum μορφήσ, nec de Idæa Platonica, ut cum mens humana intuetur multa individua, unam speciem, unam imaginem, ex multis illis individuis concipit & secum circumfert.

VI.

*aut formam ac-
cidentaliam.*

VI. Nec loqui Apostolum de forma accidentali sive figura corporis incurrente in oculos, vel de visibili aliqua specie, quam Aristoteles σχῆμα vocat, καὶ πῶς περὶ ἕκαστον ὑπέσχετο μορφῶν, quam interdum etiam scriptura usurpare solet, ut cum Evangelista dicit de CHRISTO Marci 16. Δύσιν ἐξ αὐτῶν περιπατεῖσιν, ἐφανερώθη ἑτέρα μορφή.

Marci 16.

VII.

VII. Nec deniq; intelligi qualitates & dona gratuita, quæ DEVS cordibus credentium infundit per Spiritum sanctum, quasi CHRISTVS non aliter quàm ex gratia, particeps factus sit divinæ naturæ, quemadmodum nos, teste Petro, divinæ naturæ confortes efficimur. 2. Pet. 1.

2. Pet. 1.

VIII.

*Sed ipsam essen-
tiam divinam.*

VIII. Sed vocab. μορφήσ h. l. accipi essentialiter seu pro essentia sive forma & natura essentiali, & significare id, quod propriè per seipsum existit, ut ille sit ἐν μορφῇ θεῶ, ὁ ἐστὶν ἐν τῇ ὑσίᾳ γνωσκόμενος, ut in suo Lexico Varinus indicat. Vnde sequatur, quòd in forma DEI esse sit idem, quod verum DEV esse, sive esse talem, qualis est verus DEVS, in gloria & maiestate DEI, θεῶ σωματίδιον, ὁμοούσιον, ὁμότιμον καὶ ὁμοδύναμον.

IX.

*Confirmatio Pa-
trum prima.*

IX. Hanc sententiam confirmari putat, participio ὑπέσχετο, quod Apostolus addit: Et eodem evidenter ostendi, Filium esse æqualem Patri natura & essentia. Et hanc divinam sive essentialem formam, non cœpisse in persona CHRISTI, cum manifestaretur



testaretur in carne: Sed ante *ἐνσάρκωσιν* ab æterno, *ὑπάρτασιν*
five personam Filii extitisse in essentia divina. Nec esse talem
formam, quæ distet à DEO, Sed ipsam *μορφὴν θεῶ ὑπαρχέσιν.*

X.

Vnumquodque enim dicitur in natura generis vel spe- *Secundā*
ciei per suam formam. Quamobrem forma alicuius rei non
patitur varietatem essentiae, ab eo, cuius est forma. Sicut e-
nim homo non habet formam Angeli, quia non potest esse
Angelus, brutum non habet formam hominis, quia non po-
test esse homo: Ita Filius existens in forma Dei, non potest
aliud esse, nisi æternus & verus DEVS.

XI.

In quam sententiam etiam loquitur de Filio DEI Epi- *Tertiā*
stola ad Hebr. i. cap. i. Quod sit *ἀπαύγασμα τῆς δόξης ἢ χαρακτὴρ* *Hebr. 1^o*
τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ. Et ad Coloss. i. *εἰκὼν τῆς θεῶ ἀοράτου, ἀφ' ὧ τοκοῦ* *Coloss. 1^o*
πάσης κτίσεως. Et in Symbolo Niceno dicitur, DEVS de DEO,
Lumen de Lumine, quæ appellatio satis commodè, descrip-
tionem Filii DEI Apostolicam exprimat.

XII.

Dicitur autem *ἀπαύγασμα*, quasi deradiatio, aut fulgor
de Luce refulgens, quod divinitas, & gloria Patris in Filio re-
splendeat & cernatur, veluti species Hæmal, ignei coloris, ut
habet Hebræus Ezech. i. & 8. aut aliquid simile colori igneo. *Ezech. 1. & 8.*

XIII.

Nam Filius, teste Basilio lib. 2. contra Eunomium, to- *Basil. in Græco*
tum in seipso Patrem ostendit, ex tota Maiestate Patris re- *fol. 666. in Læ-*
splendens, *ὅλον ἐν ἑαυτῷ δείκνυσι τὸν πατέρα ἐξ ὅλης αὐτοῦ τῆς δό-* *tin. f. 127.*
ξης ἀπαυγαδεῖς. Ut enim iuxta Theophilactum Sol nunquam *Theophilact. He-*
sine splendore apparet: Ita neq; Pater intelligitur sine Filio. *br. 1^o*

XIV.

Alii addunt hanc rationem, quod Deus non aliter se, *Quarta ratio.*
quàm in hoc unico, eoq; incarnato Filio, per Verbum & Spiri-
tum revelet. Quia enim DEVM nemo hominum vidit un- *Ioh. 1^o*
quam; Ideo Filius splendor gloriæ Patris assumpsit humanam *Ex. 33^o*
naturam; ut DEVS Pater invisibilis, in Filio splendore gloriæ
suæ; fieret visibilis. Irenæus adversus hæreses, lib. 4. Cap. 14. *Iren. lib. 4^o*
Agnitio Patris Filius, agnitio Filii in Patre, & per Filium re- *c. 14^o*
velata. Et propter hoc Dominus dicebat: Nemo cognoscit
Filiū.

Matth. 27.
Luc. 18.

Filiūm, nisi Pater, neq; Patrem, nisi Filius, & quibuscunq; Filius revelaverit, Hactenus Irenæus.

XV.

Character hypostasis sive personæ additur, ut tanto clari-
us exprimat, Filium omnino esse imaginem Patris, & di-
stinctam imaginem, ab aliis quasi delineatis aut utcunq; adum-
bratis. Ideo Erasmus vertit, expressa imago substantiæ illius.
Character enim insculptam formam aut imaginem significat.

XVI.

Vnde liquidò tūm divinitas Filii, tūm etiam Persona-
rum distinctio agnoscatur. Ut enim splendor est luci coæter-
nus & inseparabilis, deq; eius substantia promanans: Ita Filius
DEI altera in Divinitate persona, Patri est coessentialis, & ab
æterno ab ipso genita Psal. 2. Mich. 5.

Psalm. 2.
Mich. 5.

XVII.

Hæc verò mysteria, altiore rationis scrutinio investiga-
re, religio prohibet, nec limites verbi patefacti egredi licet.
Quare pedem hîc figamus, & dicamus cum Imperatore Grati-
ano apud Ambrosium: Ego infirmus & fragilis, quantum pos-
sum prædico, non quantum est ipsa Divinitas.

Ambros.
Tom. 3. lib. 5.
Epist. 25.

XVIII.

Sed ad Patres venio. Athanasius de salutari adventu IESU
CHRISTI, adversus Apollinarium sic scribit: Sicut forma
DEI integritas Deitatis Verbi intelligitur: Ita quoq; & forma
servi intellectualis naturæ hominum substantia, cum instru-
mentali substantia agnoscitur.

Athan.
Tom. 2. pag.
114.

XIX.

Basiliius contra Eunomium lib. I. Εγὼ γὰρ, καὶ τὸ ἐν μορφῇ
θεῶν ὑπαρχειν, ἴσον διδάσκει τὸ ἐν εἰσία θεῶν ὑπαρχειν φησὶ. ὡς γὰρ τὸ μορφῶν ἐ-
νελιφέναι δέλας, ἐν εἰσία τὸ ἀνθρωπότητι, τὸν κύριον ἡμῶν γελοῦσθαι σημαίνει:
ἐπὶ λέγων, τὸ ἐν μορφῇ θεῶν ὑπαρχειν, τὸ θείας εἰσίας παρῆσθαι, πάντως τῶν
ιδιότητων. Quod interpretes Gregorius Trapezuntius sic reddidit:
Ego verò id quod dicitur in forma DEI esse, æquum ei, quod
est in substantia DEI esse, adfero. Nam sicut formam servi
suscepisse, hominis substantiam Dominum suscepisse significat:
Sic cum in forma DEI esse dicat, divinæ substantiæ ipsi pro-
fectò attestatur proprietatem.

Basil. lib. 1.
contra Eunom.
pag. 656.

XX.

Hæc eadem Basilii verba sic recitat Theodoretus, Dia-
logo 2. Ego in forma DEI esse perinde existimo, ac esse in Dei
substantia.

Theodoret.
Dial. 2. pag.
110.

substantia. Sicut enim formam servi accepisse, in humanita-
tis substantia Dominum fuisse significat: Ita cum dicit, in for-
ma DEI esse, divinæ substantiæ proprietatem significat.

XXI.

Augustinus de fide ad Petrum Diac. c. 2. Cum audis *Augustus*
de Domino IESU CHRISTO, quia in forma DEI erat, o- *Tom. 3.*
portet te agnoscere, firmissimèq; tenere, in illo formæ no- *pag. 216.*
mine, naturalem plenitudinem debere intelligi. In forma igitur
DEI Dominus IESVS CHRISTVS erat, quia in natura
DEI Patris semper erat, de quo natus est. Vnius ergo cum
Patre naturæ est, æqualiterq; cum eo sempiternus atq; immen-
sus, æqualiter immortalis, atq; inenarrabilis. æqualiter bo-
nus & iustus, æqualiter miserator & misericors, patiens &
multum misericors & verax, æqualiter fortis & suavis, æqua-
liter sapiens atq; omnipotens.

XXII.

Hilarius de Trinitate lib. 8. Tenet in omnibus beatus *Hilar. de Trin.*
Apostolus, fidei Evangelicæ indemutabilem prædicationem: *lib. 8. pag. 113.*
Ita Dominum nostrum IESVM CHRISTVM DEVM præ-
dicans, ut neq; per alterius generis DEVM; in duos Deos fides
Apostolica depereat, neq; inseparabilis à Patre Filius Deus uni-
ci ac singularis Dei prædicandi occasionem impiam præbeat.
Dicens enim in forma Dei, & in gloria Dei patris, neq; dif-
ferre docuit, neq; non existentem existimari permisit. Nam
qui in forma Dei est, neq; in alterum Deum proficit, neq; eti-
am ipse non Deus est, quia nec separari potest à Dei forma,
cum in ea sit, nec qui in Dei est forma, non Deus est. Sicut
qui in Dei gloria est, non potest aliud esse, quàm Deus est. Et
dum in gloria Dei Deus est, alterius Dei atq; adeo diversi non
habet prædicationem. Quia per id, quod in gloria Dei est,
ex eo; in cuius gloria est, habet in se naturale quod Deus est.

XXIII.

Placuit hæc interpretatio Patrib. versantib. in palæstra ad-
versus Arium, qui finxit, Filium non esse natura Deum, sed plas-
ma *ἡ μὴ ὄντων* & largitate gratiæ, non veritate naturæ appellari
Deum: Et Cerinthianos, Hebiones, Artemonitas; qui con-
tenderunt CHRISTVM fuisse purum hominem, & tunc pri-
mum esse cœpisse, cum de Maria virgine nasceretur, sive tan-
tum fuisse Dei formam: sed veram naturam & essentiam divi-
nam

*Quomodo ver-
res nisi sint hæc
explicatione.
1. Ad confutand-
dos hereticos.*

nam non habere: Contra manifesta scripturæ Testimonia, Act. 20. Deus redemit Ecclesiam suo sanguine Rom. 9. Ex quibus Christus est secundum carnem, qui est in omnibus Deus laudandus in secula.

Act. 20.
Rom. 9.

XXIV.

II. ad ostenden-
dum discrimen
personarum
contra Sabelli-
um.

Ostenderunt etiam huius phrasis explicatione, quam hactenus recensuimus, discrimen esse inter personas, sed non inter naturas & essentias. Non enim Pater est forma seu imago Filii, quanquam una sit essentia & natura Patris & Filii: Sed Filius est forma & imago Patris, ex eius natura & essentia ab æterno genita. Et Filius habet formam, imaginem, essentiam & naturam divinam à Patre, & non Pater à Filio.

XXV.

De vocabulo
rapina.

Non dissimiliter interpretantur patres id quod sequitur: ἔχ' ἀρπαγμὸν ἠγάσατο πρὸ εἶναι ἴσα θεῷ, Non rapinam arbitratus est, ut esset æqualis DEO. Quo exponi modum iudicarunt veteres, quo Filius Dei ὁ λόγος formam Dei, æqualitatem, & omnipotentiam cum Deo Patre habeat, non per rapinam, superbiam, aut contumeliam, sicut rebellis Angelus æqualitatem divinam assumere voluit per rapinam. Vel sicut Adam & Eva per inobedientiam, rapinam & esum pomi prohibiti, divinam naturam & omnipotentiam, quæ solius Dei est, invadere voluerunt, ut essent æquales Deo, & hoc modo ex divina natura superbire, & præ se cæteras creaturas contemnere & iniuria afficere possent. Vel deniq; sicut Absolon mota seditione; per rapinam & violentiam, patris regnum, eo pulso occupavit, & ex aliena potentia superbiuit.

Gen. 3.

2. Sam. 13.

XXVI.

Est enim rapina iniusta & violenta alienæ rei invasio cum iniuria & contemptu eius, cui ea res vi auferitur, & in rebus raptis cum contumelia alterius, superbire & sese ostentare. Et raptor rerum alienarum, non tantum furti obnoxius est, sed etiam vi bonorum raptorum actione conveniri potest, ut inquit Imp. Iustinian. Institut. Imperial: lib. 4. tit. 2. de vi bonorum raptorum.

Imperat. Iusti-
nian. Inst. Imp
lib. 4. tit. 2.

XXVII.

Sed inde æqualitatem cum Deo rapinam non duxit, quod ex natura & essentia Patris ab æterno natus est, & natura divina tanquam bonum à patre, sibi nato non factum aut creato, proprium communicatum habet.

Et

XXVIII.
Et quamvis suo iure uti potuisset, & nemini fecisset iniuriam, etiamsi divina sua maiestate & æqualitate in Patre, omnino iugum servitutis excussisset: tamen cessit de suo iure, & contra missionem & vocationem suam non fecit quidquam, nec est usus sua potentia, qua liberrimè uti potuisset, si voluisset, & non rapuit usum omnipotentia suæ in defensionem sui.

XXIX.

Quare rapinam ducere, *ὡς ἐν ἀνίγμῳ*, opponitur ei, quod quis habet proprium & per naturam, sicuti Filii natura est illa divinitatis æqualitas cum Patre. Et iuxta Oecumenium hæc vera sit phrasios sententia: Non arbitratus est se habere *τὸ εἶναι ἴσα θεῷ*, id est, *θεότητα ἢ ἰσότητα*, Deitatem aut æqualitatem cum Deo, *καθ' ἀρπαγὴν* per rapinam, sed novit se verum esse Deum *ἑσιώδως*, & hoc sibi esse *φυσικὸν καὶ ἴδιον*, æternum & naturalem proprietatem, esse *ἴσον καὶ ὁμοδύναμον* Deo Patri. Hoc *φυσικὸν καὶ συναϊδίον ἀξίωμα* ipsius est.

XXX.

Qua particula similiter usi sunt Patres contra Arianos, qui ex eadem demonstrare voluerunt, cum CHRISTVS non rapuerit æqualitatem cum Deo, quod etiam æqualitatem æternam cum Patre non habuerit. Sed elidi hoc *σὸφισμα* facile potest. CHRISTVS enim non rapuit, quia natura habuit. Nam Divinitas CHRISTI non est *ἐπικτητος*, ascititia vel adventitia, sed *ἑσιώδης*. Ideo *ὑπαέχων* inquit Apostolus, non *ὑποδύτης*, Factus in forma Dei.

XXXI.

Quæ sanè & ipsa, contra Antitrinitarios sive Arianos recentiores, quorum Dux & Antesignanus Franciscus Davidis dicit, Disputatione 2. Albana, Christum esse æqualem Patri, Quia Deus evexit illum ad suam æqualitatem. Id quod manifestè pugnat cum scriptura. *Is. 42.* Ego Dominus, gloriam meam alteri non dabo. Et planè impossibile est, creaturam fieri æqualem creatori, cum necessario sit finita, temporalis &c.

XXXII.

Transylvani, quia vident, præceptoris sui hæreticam sententiam constare non posse, quæcunque etiam fulcra ei substernantur, aliam affingunt verbis Pauli sententiam lib. 2. cap. 6.

B

6. Qua

6. Qua Christum sua divinitate & æqualitate cum Patre spoli-
ant: Hoc nimirum velle Apostolum, non arbitratus est, rapi-
nam esse faciendam, ut esset æqualis Deo; imitantes Maximinum
Arianum, qui apud Augustinum lib. 2. cap. 5. eandem hæreti-
cam & Arianam interpretationem huic dicto astruit. Non ar-
bitratus est, inquit, esse rapiendam æqualitatem Dei, eò quod
ab illo fuerit aliena, &c.

Augustin.
Tom. 6. contra
Maximum
Arianorum Epi-
scopum lib. 2.
c. 5.

XXXIII.

Tertull. de Trin:
cap. 17. pag.
1243.

Proferunt illi ipsi testimonium ex Tertulliano, qui lib.
de Trinitate cap. 17. sic ait: Quamvis se ex Deo Patre Deum esse
meminisset, nunquam se Deo Patri comparavit, aut contulit,
memor se esse ex suo Patre, & hoc ipsum quod est, habere
se, quia Pater dedisset.

XXXIV.

Hieron. in Catal:
script. Eccles. Et
in Apol. adv:
Ruffin. lib. 2.
cap. 5.

Sed hæc verba, quæ ab ipsis allegantur, Tertulliani non
sunt, sed potius Novatiani, Romanæ urbis presbyteri, cu-
ius etiam titulo, liber de Trinitate inscribitur, in quo
multa hæresin sapiunt, maximè quod *πνευματομάχους* Mace-
donianis patrocinator. Id quod Hieronymus duobus in lo-
cis affirmat, Tertulliani nimirum hunc librum non esse, tum
in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum: tum etiam in Apo-
logia adversus Ruffinum lib. 2. cap. 5.

XXXV.

Deinde cuiuscunque autoris sint hæc verba, nostram
tamen fidem de Christi æterna divinitate & æqualitate cum
Patre non evertunt, & tantum abest, ut evertant, ut potius
confirment. Nam ibidem clarè asserit, CHRISTVM fuisse in
forma Dei. Hinc tale argumentum extruitur:

Quisquis in forma Dei est, nihil aliud est, nisi quod De-
us est.

CHRISTVS est in forma Dei.

Ergo Deus sit necesse est.

XXXVI.

ib. 146

Et hanc sententiam, quod CHRISTVS sit natura Deus, & æ-
qualis Patri: iuxta omnes proprietates essentielles, non solum
Scriptura confirmat, sed pluribus ipsa etiam orthodoxa antiqui-
tas, quæ cum Ariani objicerent dictum Christi Ioh: 14. Pater
maior me est: communiter exponit de CHRISTO non ut est
Filius Dei, sed etiam ut est Filius hominis, & addunt causam,
Patrem esse maiorem ratione principii, & tamen Filium non
esse

esse minorem Patre, propter naturæ identitatem. Qua de re videatur Athanasius in Symbolo, Idem lib. 3. ad Theophilum, Basilii lib. 4. adversus Eunom. Idem in Epist. ad Cæsarem. Augustin. Epist. 66. Gregorius Nazianzenus Orat. 2. de Filio: Cyrill. lib. 2. Thesauri cap. 3. Hil. lib. 9. de Trinitate.

*Athan. in Symbolo
Idem ad Theophil. lib. 3. c. 9.
Basil. lib. 4.
advers. Eunom.
Idem Epist. ad Cæsarem. Nazianz. 2. orat. de Filio
Cyrill. thes. lib. 2. c. 3. Hil. lib. 9. de Trinitate.*

XXXVII.

Et ut paucis complectamur multa, veteres dictum, Pater maior me est, unanimi consensu intellexerunt. I. De Patre tanquam causa Filii. II. De CHRISTI humiliatione *καταγωγῆς*. III. De morte & passionibus.

XXXVIII.

Congruit cum hac interpretatione sententia D. Philippi Melancthonis, quæ passim in Scriptis eius extat: Discernendâ videlicet esse divinitatem mittentem à personâ missâ ad ministerium & humiliationem. Pater maior me est, non quod ad essentiam attinet, de qua inquit, Ego & Pater unum sumus, sed quod ad officium attinet, in quo ego sum persona missa, passura sine gloria: Sed Pater mittens glorificabit me. Ita Pater maior me est, mittens scilicet & glorificans. Loquitur ergo Christus non de essentia, sed de ministerio suo. Et sic alibi etiam quædam dicta loquuntur, de essentia, quædam ad officium Christi missi ad docendum, & ad hanc obedientiam Patri præstandam, ut pro nobis victima fieret, referuntur.

*Tom. 1. in Locis Theol. fol. 156 ibid. in Symb. Niceno fol. 400.
Tom. 2. in Symb. Niceno fol. 227.
Tom. 3. in Joh. c. 14.*

XXXIX.

Et hæcenus exposuimus, quid olim patres de hac Phrasi Paulina, Esse in forma Dei, senserint. Quæ omnia nos suo loco relinquimus. Alia enim tùm fuerunt tempora; aliæ controversiæ. Et securius nonnunquam Patres locutos esse, Adversariis non litigantibus, Augustinus testatur contra Pelagianos.

XL.

Nec simul hoc non valet hæc interpretatio, ut diximus, contra Antitrinitarios & Arianos, Nam licet primò & directè non procedant argumentationes, sic ex hoc loco petitiæ; tamen secundariò & consequenter, sunt validæ. Quomodo etiam phrasin alteram de forma servi à Patribus accommodatam ad humanam naturam, hoc sensu, hoc fine, & circumstantiis non rejicimus.

XLI.

Postquam verò in certamen venit nuper, doctrina de Maiestate humanæ naturæ in Christo, de qua Sacramentarii *Secunda pars propositionis in*

B 2

vehe-

qua accommo-
datur hic locus
ad statum exi-
nitionis &
maiestatem car-
nis Christi.

1. ratio a ponde-
re vocabuli.

1. Tim. 3.

1. Pet. 4.
Iren. adv. Hæret.
lib. 3. cap. 21

Nazian. tom 2.
tract. de fide fol.
834.

Ambros. lib. de
fide contra Ari.
4. 8.

Coloss. 2.

vehementissime pugnarunt. nostri Doctores huius loci con-
sideratione accuratiore excitati, ad exinanitionis statum, &
maiestatem carnis Christi humanæ naturæ scilicet convenientem,
proprie, directe & primo referendum istum locum viderunt,
quam interpretationem nos etiam probamus & sequimur.

XLII.

Exponit enim Apostolus, quomodo Filius Dei extreme
se dejecerit, & humiliaverit; in assumpta natura, *ἑαυτὸν ἐκένωσε*,
exinanivit. Quæ exinanitio, non tantum de maximo illo Pi-
etatis Mystero, de *ἐνανθρώπησει* illa, & hypostatica duarum
naturarum in Christo unione, accipienda est: ut veteres sen-
serunt: sed de occultatione quadam quasi divinæ naturæ, &
eiusdem *ἐνεργείας* in assumpta massa; Quæ in statu humiliationis,
in primis verò in passione & toto tempore, quo visibiliter in
mundo hoc Christus versatus est, non manifestè in humana natura
sefe exeruit, nec exercuit suas vires sed requievit; ut Petrus di-
fertè dixit; & Irenæus Christum crucifixum & mortuum esse,
ἡσυχάζοντος τῆς λόγῃς, requiescente Verbo.

XLIII.

Id quod Nazianzenus declarat illustri similitudine, sum-
ta à Sole, qui interiecta nube obscuratur; quod eodem modo
divina *τῆς λόγῃς* natura, umbraculo servilis status quasi nube te-
cta fuerit. Verba Nazianzeni sunt, Vt Sol cum nube regitur,
claritas eius comprimitur, non cæcatur, Et lumen illud, quod
toto orbe diffusum, claro splendore cuncta perfundit, parvo
admodum obstaculo nubis includitur, non aufertur: Sic &
homo ille, quem Dominus IESVS Salvator noster, hoc est,
Deus Deique Filius induit, Deum tamen in illo non interce-
dit sed abscondit. Quam sententiam Ambrosius transcripsit
lib. de Fide contra Arianos cap. 8.

XLIV.

Exinanitio ergo non significat privationem, ablatio-
nem, despoliationem, exuitionem, abiectioem, depositio-
nem, remotioem, carentiam, absentiam, defectum, nudi-
tatem seu vacuitatem plenitudinis Divinitatis, quæ in Christo
habitavit, Corporaliter, ab ipso momento conceptionis, &
à principio hypostaticæ unionis; Sed occultationem poten-
tiæ, gloriæ, & Maiestatis divinæ, quam Christus homo in-
firmitate, seu forma servili tectus, usurpare non semper voluit;
sed retraxit atq; retinuit; interdum tamen tempore exinaniti-
onis,

omnis, quando & quantum voluit, manifestavit & exeruit
Ioh. 2 Matth. 17. 2. Pet. 1.

Iohan. 2.
Matth. 17.
2. Pet. 1.

XLV.

Sic fermè tota de exinanitione Christi sensit, & locuta est antiquitas, ex cuius plurimis testimonijs pauca subjicemus. Ambrosius ad Philipp. 2. cap. Ut humilitatis legem doceret, Iudæis se comprehendentibus non solum non repugnavit, sed semetipsum exinanivit, hoc est, potestatem suam ab opere retraxit. Et Beda ex Augustino, Semetipsum exinanivit, non formam Dei amittens, sed formam servi suscipiens.

2 ratio a testi-
monijs patrum.

Ambrosius ad
Philip. 2. cap.

Augustin. tom.
4. pag. 506. Be-
da ad Philip. 2.

XLVI.

Quæri vulgò solet, quam potissimum respiciat exinani-
tio, an divinam, an humanam, an utramq; Commodè respon-
deri solet, quod propriè pertineat ad naturam assumptam non
ad divinam, quæ mutari & exinaniri non potest. Quamvis
non latet nos, quosdam sic loqui, quod λόγος Filius Dei exi-
natus sit, quod solus ipse, non Pater, nec Spiritus Sanctus
dignatus est assumere humanam naturam, in vnitatem suæ per-
sonæ; quæ tamen & ipsa assumptionis dignatio, qua Filius sibi
personaliter univit humanam naturam, sine diminutione &
exinanitione divinitatis facta est, Quomodo quidam ex vete-
ribus, Theodoretus, Oecumenius, Nazianzenus, Leo & alii,
exinanitionem impropriè acceperunt.

Theodoret. ecc-
men. Naz. Leo

XLVII.

Complectitur ergo Apostolus sub vocabulo, exinanti-
onis, res maximi momenti. Primò lapsum primi hominis,
quod ille respectu Dei creatoris existens in forma, similitudine
& conditione servi, hac sua sorte contentus non fuit; sed im-
pulsu Diaboli affectavit æqualitatem cum ipso Deo, eoq; in
ipsa tartara, & profundum miseriarum, ignominieq; præci-
pitatus est. Deinde effectum lapsus, horrendam primorum
parentum paupertatem, qua sua culpa & fraude latronis Sata-
næ, cum omni sua posteritate affecti fuerunt atq; afflicti Gen. 3.

Quid comple-
ctatur vocabu-
lum Exinanti-
onis.

Gen. 3.

XLVIII.

E contra non obscure innuit Apostolus, quod Filius
Dei, quò genus humanam, ex ista abyssu iniustitiæ, miseria-
rumq; pelago educeret, cum esset æternus Deus, carnem as-
sumserit, & per omnia repertus sit similis homini, idq; neque
peccato penitus excluso, quod quidè sola imputatione non reali

B 3

commu-

communicatione in se recepit; idq; ita potenter & efficaciter, ut perinde coram Deo iniustus sit reputatus & maledictus damnatusq; , ac si ipsemet totius mundi peccata patrasset.

XLIX.

Præclare ergo ista paupertas aut exinanitio Sponsi illius cælestis, ex summa illa priore opulentia, formaq; ac maiestate Dei in formam servi transeuntis, conferri posse videtur; cum illa tristissima paupertate humani generis; & porro etiam cum ista nova opulentia & plenitudine, quam per glorificationem resurrectionis, ascensionis & sessionis ad dexteram adeptus est, ut omnia repletet, Ephesios 4.

L.

Nam ille ditissimus unigeniti Dei Filius per sese plenus omni opulentia, in quo est ipsamet lux & vita, nostri causa pauper factus est, nostramq; illam infernalem paupertatem in sese transtulit: ut nos suis cælestibus divitiis, ex sinu Patris alatis, & hîc etiam per huius humiliationis victoriam partis daret ac bearet. Recepit idem (seposita quadam ratione sua maiestate) paupertatem iniustitiæ totius mundi, factus pro nobis peccatum, ut nos fieremus iustitia Dei 2. Cor. 5.

LI.

Quod autem Apostolus hoc loco, in exprimendo ac declarando humiliationis & exinanitionis modo, utitur vocabulis *ὁμοιώματος* & *χήματος*; nihil patrocinator Marcionitis, qui hinc probare voluerunt, Christum non verè hominem esse factum, nec veram carnem, sed speciem carnis assumpsisse, & corpus tantum habuisse imaginariū. Quod idem etiam delirium fuit Manichæorum, qui ut testatur Augustinus lib. de hæresib negarunt Christum fuisse in veracarne, sed simulatam **speciem carnis**; in significandis hominum sensibus præbuisse ut non solum mortem, verum etiam resurrectionem mentiretur.

LII.

Simili modo iidem Manichæi depravarunt locum Pauli, Rom. 8. ubi dicit, Deum misisse Filium *ἐν ὁμοιώματι σαρκὸς ἀμαρτίας*. Quod sicuti Filius Dei in veteri Testamento, in specie Filii hominis, sine vera assumptione humanæ naturæ apparuit: ita ipsam etiam incarnationem in plenitudine temporis factam esse in phantasmate horribiliter blasphemarunt.

Sed

... communicatione in se recepit; idq; ita potenter & efficaciter, ut perinde coram Deo iniustus sit reputatus & maledictus damnatusq; , ac si ipsemet totius mundi peccata patrasset.

*2. Cor. 5.
Ioh. 1.*

2. Cor. 5.

*Vocabula
ὁμοιώματος
ἡ σάρκατος
depravata a
Marcionitis.
August. tom.
de hæresib pag.
83.*

*Rom. 8. Et a
Manichæi-*



LIII

Sed hisce portentosis opinionum spectris opponenda est vera sententia. Paulus tractans & tradens doctrinam de incarnatione Christi & assumptione humanæ naturæ, ex semine Davidis, non ludit putativis phantasiis, nec inanem speciem & solam similitudinem, sed etiam ipsam rei veritatem denotat, & hoc vult, quod in veteri Testamento fuerit tempus figurarum & umbrarum, quo Filius Dei interdum externa quadam specie præfiguravit veritatem incarnationis, securam in plenitudine temporis Gal. 4.

Vocabulum
ὁμοιωματος
vera interpre-
tatio-
Prior

LIV

Deinde etiam per vocabulum ὁμοιωματος indicare vult, infirmitates hærentes in natura humana, quod illæ in nobis sint pœnæ peccatorum, in Christi verò carne pura & incorrupta, immuni ab omni peccatorum contagione, sint imbecillitates miserationis affectu, non conditionis necessitate assumptæ, ut veteres dixerunt.

Posterior

LV

Eadem est ratio vocabuli σχηματος, quod Latinus interpretis per vocem habitus reddidit. Quo nomine oportet intelligi, non mutatum esse Verbum susceptione hominis, nec membra veste mutata mutantur: quanquam illa susceptio, ineffabiliter susceptum suscipienti copulaverit. Sed quantum verba humana rebus ineffabilibus coaptari possunt, ut habet interpretatio Augustini lib. octoginta trium quæstionum, q. 73.

Vocabulum
σχῆμα quid

August. tom-
4. pag. 596

LVI

Sicut autem Paulus hortatur Philippenses, non ad simulatam & fictam humilitatem, sed veram & ad mutuam proximo inserviendi promptitudinem, ab exemplo Christi: Ita Christum etiam proponit non ut simulatum & putativum spectrum, quo oculi hominum, sine rei veritate fascinentur, aut hominem κατὰ ὄψιν ἢ φαντασίαν, ut Manichæi hæc verba depravarunt: sed verum Christum qui σχηματι inventus est ut homo, hoc est, qui in conversatione, inter homines se gessit affectibus, & totius vitæ actionibus, non quasi esset aliquis ultra reliquorum sortem, sed quasi Filius hominis, sine tamen peccato. In qua significatione videlicet, de vitæ conversatione, usurpatur etiam verbum συχηματι I. Pet. I.

Conferre
Hæretici
sunt
I. Pet. I.

I. Pet. I.

LXVIII.

Et Philipp. 3. dicitur, quod Christus in extrema die; se transfiguraturus, μεταμορφώσεται το σῶμα τῆς ταπεινότητος ἡμῶν. Unde innotata hæc consequentia extruitur, quod vocabulum ὁμοῦς substantiæ veritatem non tollat, & putativam speciem non substituatur, quomodo hac de re, pie & erudite disputat Chemnitius noster de duabus naturis cap. 3. Cum qua explanatione consentit Tertullianus adversus Marcionem lib. 5. Hilarius de Trinitate lib. 10. Chrysostronus & eius abbreviator Theophilactus, super Epistolam ad Philippenses.

D. Chemnit. de duab. nat. cap. 3. Tertullian. adv. Marc. lib. 5. Hilar. de Trinit. lib. 10. f. 151. Chrysostr. & Theophil. ad Philipp.

Dua quæstiones de forma Dei & servi.

LXIX.

Ex interpretatione genuina loci Apostolici data, facilis est responsio, ad quæstiones, quæ circa hanc materiam agitantur. Illæ autem sunt duæ. Prior, An rectè dicatur, Christum qui accepit formam servi, esse in forma Dei? Posterior, An sine crimine læsæ Maiestatis divinæ dici possit, Christum sedentem ad dexteram Patris omnipotentis, in gloria & Maiestate divina, retinere servi formam?

Responsio ad priorem quæstionem.

μορφὴ θεῶ. accipienda de Maiestate humana natura in Christo.

LX.

De priori quæstione: An rectè dicatur, Christum, qui accepit formam servi, esse in forma Dei? Respondetur, IESUM CHRISTUM, respectu Divinitatis, quæ est ipsa forma Dei, ex parte humanitatis suæ esse in forma Dei, hoc est, divina Maiestate præditum, sive ut clarius dicam μορφὴ θεῶ, primò & propriè, non essentialiter, seu de essentia sive forma, & natura essentiali Divinitatis, ut veteres senserunt: Sed iuxta tertium genus communicationis μεταποίησιν, scilicet de humanæ naturæ communicata Maiestate, sive attributis divinis, vel dotibus & operationibus in ipso λόγῳ, humanæ naturæ communicatis, esse intelligendam.

Confirmatio responsionis ab auctoritate scripturæ.

LX.

Nam naturæ assumptæ ad debitam perfectionem tribuit scriptura, non tantum gratias habituales, dona creata & finita, quæ Angelorum & Sanctorum hominum dona, gradibus, numero, dignitate antecellunt. Sed hoc etiam affirmat, quod per gratiam unionis & sessionis ad dextram Dei, natura assumpta & cum æterna persona Filii Dei unita, realiter fiat particeps gloriæ, maiestatis, & omnipotentæ divinæ, ut alibi dictum & demonstratum est copiosius.

In hoc



LXI.

In hoc verò sensu Ambrosius Paulinam hanc Phrasin accipit, & sic inquit; In forma Dei erat, quia cum homo videretur, opera Dei faciebat, ut in rebus gestis appareret, Deus esse, qui tantum homo esse putabatur. Opera enim formam significabant, ut quia opera eius, non utiq; hominis opera sunt, hic, qui in opere, vel forma Dei erat, Deus intelligeretur. Forma enim Dei quid est, nisi exemplum, quo Deus apparet, dum mortuos excitat, surdis reddit auditum, leprosos mundat &c.

*Ab autoritate
Ambrosij ad
Philip. pag. 267.*

LXII.

Similiter Erasmus, LUTHERVS & alii accipiunt hanc phrasin, in forma Dei esse, de humana Christi natura, locupletata divinis dotibus & operationibus ab ipso λόγῳ, quam interpretationem & nos sequimur & probamus. Lutheri verba hæc sunt, Tom. I. Viteberg. lat. in concione de duplici iustitia: Forma Dei, hæc non dicitur substantia Dei, quia hæc Christus nunquam se exinanivit, sicut nec forma servi dici potest, Substantia humana. Sed forma Dei est sapientia, virtus, iustitia, bonitas, deinde libertas &c. Idem scribit vir Dei in postillis maioribus, In primo Tom. Epistolarum Epist. 94. Et ibidem in Serm. die S. Michaelis in arce Vinariens. & in aliis scriptis.

*a testimonio
Lutheri.*

*Tom. I. Viteb.
lat. pag. 69. item
1. tom. ten. lat.
fol. 179.*

*Theol. Calvin.
Schlussel. lib.
2. art. 2.*

LXIII.

Apologia etiam Concordiæ, hanc Lutheri explicationem retinet, quæ sic inquit: Dicitur Pauli ad Philipp. 2. de assumpta servi forma, quod attinet, scimus Dei beneficio, in quam sententiam illud nonnulli Patrum explicarint, nimirum quod formam Dei pro Divinitate, & formam servi pro humanitate acceperint. Expositionem etiam illam suo loco salvam & integram relinquimus. Pari autem modo benè meminimus, Hieronymum, Erasmus in annotationibus novi Testamenti, Lutherum in Postilla Ecclesiastica, Dominicæ Palmarum, locum eum de statu humiliationis exposuisse, videlicet: Etsi Christus etiam secundum humanam naturam in forma Dei se ostentare potuisset, minimè tamen id fecisse. Verùm formam servi accepisse, suaq; se Maiestate exinanivisse. Quæ explicatio dicto loco cuius est obvia: & à nobis, cum analogia sit fidei &c. retinetur, &c. Nec Iesuitarum clamoribus, qui perpetuò adversariis sunt in ore, quicquam movemur; Et cur

*Apologia Con-
cordiæ cap. 4.*

quæso,

quæso; cum LUTHERO de hac controversia non disceptant.
Haftenus Apologia Christianæ Concordiæ.

LXIV.

*Absurda ex hac
interpret. ab ad-
versarijs extru-
ta.
Anhaldini in
argumen. 42.
Gryna in 1.
parte Theol. disp.
Anton. Sadel de
veritate h. n.
Pezel. in assert.
Apolog. Bis-
sai.*

Constat ergo hanc explicationem, Fidei nostræ, planè
esse consentaneam, quodcunq; etiam obganniant Calviniani,
absurdum & incommodum ex hac ἐξήγησει oriri: Ut quod fiat
Exæquatio Naturarum, & quod humana natura assumserit hu-
manam naturam, quod humanitati tribuuntur, Divinitas, æ-
ternitas, μορφὰς ἐσιώδεις à Paulo significari, Deum esse ἀγαλλοί-
ωτον, καὶ ἀμέρισον, inter infinitam & finitam naturam nullam
esse proportionem, propria essentialia non egredi sua subie-
cta &c.

LXV.

Hi sunt arietes Sectæ Calvinianæ, quibus fundamenta
veritatis & sinceritatis Lutheranae evertere conantur, & suas
putidas cavillationes, ut nodum Gordium, indissolubiles ef-
se autumant, unionemq; hypostaticam duarum naturarum, &
maiestatis communicationem re ipsa negant & tollunt. Sacra-
mentariorum sophisma ac figmentum de verbali communica-
tione stabiliunt, quod nec naturarum nec proprietatum essen-
tialium ulla unquam sit communicatio.

LXVI.

*Confutatio ob-
jectionum Cal-
vinianarum.*

*Quid κοινο-
νία & qualis.*

Ac quod obijciunt Ecclesiis Lutheranis, ut appellari so-
lent, ἀσύστατον de exæquatione naturarum, & de humana na-
tura assumpta ab humana natura, mera est petulantia & malitia.
Quomodo enim communicatio Maiestatis, confusionem, trans-
mutationem, aut exæquationem naturarum importare, accusari
potest? Cum ea vis vocabulo κοινονίας non insit, ut vel confu-
sionem vel exæquationem secum trahat. Et quod, si quando
nominatur κοινονία, communio seu communicatio, disertè ad-
datur declaratio, qualis intelligatur communicatio, non qua
proprium unius naturæ, fiat & sit proprium alterius naturæ,
essentialiter in sese, aut secundum sese, Physica effusione,
essentiali transmutatione, formali exæquatione, sive natura-
rum sive idiomatum: sed quæ unioni hypostaticæ sit consen-
tanea & correspondens, & quæ primum generaliter retinetur
& usurpatur. Postea verò in distinctos gradus, cum addita
singulis perspicua declaratione dividitur.

LXVII.

Eiusmodi verò κοινονίας qui negant aut contumeliosè fictici-
am com-

am communicationem, aut maiestatis in carnem effusionem
vocitant, & novas loquendi phrasas comminiscuntur, testi-
monia authentica veteris & orthodoxæ Ecclesiæ rejiciunt,
veritati manifestæ contradicunt, & in Samosatensi hæresin inci-
dunt, qui finxit naturas in Christo prorsus esse
communicabiles, vel nullam prorsus ad invicem habere com-
munionem.

*Calviniani ve-
gantes κοινω-
νίας maiestatis
in Samosatensi
castra descen-
dunt.*

LXVIII.

2. Cor. 13. Inquit Divus Apostolus, *κοινωνίαν* Spiritus
esse, cum & in sanctis Corinthiis, nec tamen ideo fit vel co-
gitatur, sive confusio, sive exæquatio substantiarum Spiritus
Sancti & credentium. Deus est natura sua *ἀγαλλόωτος ἢ ἀμέρι-
σος*, & tamen suas proprietates & bona sapientiam iusticiam
vitam, libertatem, castitatem, lætitiā, communicat cum crea-
turis, sanctis Angelis & hominibus, quæ tamen bona non sunt
in Deo accidentia, sed ipsa essentia Divina.

*2. Cor. 13.
κοινωνία
spiritus in san-
ctis.
Deus
κοινωνεί
sanctis sua bono*

LXIX.

Qua ergo fronte, quave conscientia, nostri adversarii
Calviniani, non solum in dubium vocant, sed apertè etiam ne-
gant, quod Deus sua dona, proprietates & maiestatem, carni
Christi, quæ nunc *ἡ λέξις* propria caro est, communicet, sine
naturarum confusione & *ὁμοσίᾳ*, creatis nimirum & creatæ,
assumentis & assumptæ, infinitæ & finitæ, propter participatam
carni divinitatem, ut inquit Augustinus de peccatorum meritis
lib. 1.

*Augustin. de pecc.
7. pag. 684.*

LXX.

Idem Augustinus prædicata etiam tam de divina, quam de
humana natura eleganter coniungit, lib. contra serm. Arian. his
verbis: Quis est ille, qui cum in forma Dei esset, non rapinam ar-
bitratus est, esse æqualis Deo? Respondetur nobis voce Apo-
stolica, Christ^{us} Iesus. Ergo illa divinitas huius humanitatis no-
men accepit. Item si quæramus: Quisnam sit factus obediens
usq; ad mortem, mortem autem crucis? rectissimè responde-
tur. Ille qui cum in forma Dei esset, non rapinam arbitratus
est, esse æqualis Deo. Ergo & ista humanitas illius divinita-
tis nomen accepit. Apparet tamen idem ipse Christus, ge-
minæ Gigas substantiæ, secundum quid æqualis Deo, secun-
dum quid Filius hominis, secundum quid Filius Dei &c.

*Idem tom. 6.
pag. 661.*

LXXI.

Est etiam *ἀμέριστος* impartibilis Divinitas, & tamen car-
ni as-

*Divinitas quo-
modo ἀμέ-
ριστος.*



ni assumtae communicat proprietates illas, quae communicabi-
les sunt, ut infinita Maiestas, Omnipotentia & gloria divina,
Omniscientia, & omni. praesentia, & quae per inen. ad. omnia
Messiae propria, quae peragit in regno & sacerdotio suo, non
seorsim secundum divinam & λόγος naturam, sed etiam secun-
dum carnem, seu naturam humanam, quam pro modo organi
non tantum *σπυριτωσματος*, Sed etiam divinae *ενεργειας, συγκαίνω-
υοσ* facit, natura & λόγος lucente, seq; exerente, cum & per na-
turam assumtam.

LXXII.

P. Zaeh. Schil-
terus, in brevi
& perspicua de-
clarat. & defens.
edita Lips. an.
1584.

Et haec ratio est, cur Christus ab Apostolo *εν μορφη τῆ θεοσ
ειναι* dicatur, non propter nudam aut ociosam aliquam duarum
naturarum copulationem, sive quod hic homo verè & natura
tantum Deus sit: Sed etiam quod gloria & maiestate se Deum
esse declaraverit, seu quod λόγος specimen, exemplum & ar-
gumenta Deitatis, in, cum, perq; naturam assumtam exhibu-
erit, ut in rebus gestis appareret Deus esse, qui homo tantum
videbatur, &c.

LXXIII.

D. Nicol. Sel-
nec. in Exam.
P. pag. 531.

Eius verò rei exemplum peti potest ex physicis. Sicut
enim rationalis anima in homine, non scinditur in partes, cum
reliquas quidem facultates suas corpori tribuit, id autem, quo
toto genere ab eodem corpore suo differt, ut quod est Spiri-
tus, sibi reservat, & ex corpore non facit Spiritum, cum ipsa sit
incorporea, nec ex corpore facit animam, sed animatum: Sic
Deitas & λόγος, non fit partibilis, etiamsi carnem suam faciat,
non ipsam omnipotentiam, aut vitam essentialiter, nec aeter-
nitatem & infinitatem ei conferat: sed tamen omnisciam, o-
mnipotentem.

LXXIV.

Proponit hanc doctrinam illustri dicto Paulus Coloss. 2.
In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis *σωματικως*.

LXXV.

De vocabulo
Deificationis &
quod usi apud

Quod si verò Calviniani eluserint allegationem dicti
Paulini ad Colossens. quod proprium ipsis est in quarto modo,
& diverticula quærant, quod omnis plenitudo divinitatis in
Christo habitet, respectu Divinitatis in carne, *σωματικως* ha-
bitantis sive *εστωδως η μη σχολικως*, essentialiter, non habituali-
ter: Opponimus ipsis Deificationis vocabulum, quod veteres
intellexerunt, non solum de ipsa unione, vel gratia unio-
nis, sed

nis, sed etiam de tota plenitudine Divinitatis, quæ in Christi
 humanitate beneficio κατακρίσται ita inhabitat, ut sit plene una
 persona cum ea, & inhabitet substantialiter et personaliter,
 non secundum subsistentiam solum, sed etiam κατὰ οὐσίαν, ad
 modum animæ in corpore habitantis, & in, cum, atque per
 illud, tanquam instrumentum συνέργον, vires & facultates suas
 exerentis, & actiones suas perficientis, qua de re, si temporis
 angustia non intercluderemur, plurima testimonia ex Irenæo,
 Athanasio, Hieronymo, Ambrosio, Cyrillo, Epiphanio, Au-
 gustino, Theophilacto, Theodoro, Damasceno, & aliis,
 in medium adduci possent.

*Passus, 31a
 Gregor Naz.
 15 75 2710V
 ad Alex.
 pag. 255.
 & Ioan. Da-
 masc. lib. 3. or.
 theodor. fid. 6. 17a*

LXXVI.

Quo pacto nulla fit contradictionis implicatio, ut te-
 merè Spiritus Cinglianus garrit ac nugatur. Quia non eodem
 modo & respectu, Idiomata divina communicantur humanæ
 naturæ, sicut sunt Idiomata divinæ naturæ, sed Deus Christo,
 teste Apostolo: ἐχαρίσατο ὄνομα, ex gratia dedit nomen, quod
 est supra omne nomen, ita ut quicquid convenit Filio Dei per
 naturam, conveniat Filio hominis per gratiam, sicut antiqui-
 tas locuta est, & Vigilus scripsit: Verbum inexplicabili
 modo cum carne ita est unitum, ut ipsum verbum caro dica-
 tur, licet Deus non sit caro, quia non est in carnem mutatum,
 sed verbum propter carnem suam homo fit, & caro propter
 verbum Deus fit. Et quicquid est proprium verbi, sit com-
 mune cum carne, & quicquid est proprium carnis, commune
 cum verbo sit, quomodo verbum & caro unus est Christus,
 & una persona. Hactenus Vigilus.

*Vigilius lib. 2o
 pag. 43a*

LXXVII.

Alterum γλοιώματα adversariorum, quod nobis objiciunt
 Aristotelicum est, & Porphyrianum, Physicum, Judaicum,
 Philosophicum, Rhetoricum & Poeticum, quod carnem Chri-
 sti, infra prædicamenta abjiciunt, Circino Geometrico, iuxta
 longitudinem & latitudinem metiuntur, & Aristotelis iudicio
 subjiciunt, qui sententiam dicit: Quod finiti ad infinitum nulla
 sit proportio: Quod ἀείρον non possit simul esse ἀπέλειρον.
 Quodlibet enim est, aut non est. Nihil simul potest esse tale,
 & non tale. Ergo carni Christi non tribuendæ sunt, divinæ,
 infinitæ, & essentielles proprietates &c.

*Præcipua [Cato]
 nistarum obji-
 ctio.*

LXXVIII.

Vide quæso ridiculos nostros Citharædos semper chor-
 da ob-

*Eiusdem vsu
 tatio.*



Aristoteles
περὶ οὐρανοῦ
βιβλ. 1.

da oberrantes eadem, & eandem *καταβλῶ* subinde reco-
quentes. Non vident cæci, & cæcorum Duces, Deum su-
pra & contra Aristotelem, quam acriter etiam disputet *περὶ οὐ-
ρανοῦ* lib. 1. in aliquot capitibus, de hac Physica propositione,
quod finiti ad infinitum nulla sit proportio, posse, supra quam
intelligimus, excellentiora facere: & pro sua omnipotentia &
voluntate, modum & proportionem invenire, invito etiam
Aristotele, omnibus physicis & Philosophis, qua ex Divini-
tate infinita & assumente, & ex finita humanitate & assumpta,
non quidem una natura, sed unum fiat *ἰσοστάθμῳ*, qua etiam
ratione ipsam assumptam naturam finitam infinita maiestate &
gloria, imò tota & infinita plenitudine Deitatis, infinitæ or-
net.

LXXIX.

Quæstio poste-
rior.

Ad eandem re-
sponsio Calvi-
nianorum.

Postremò, ut tandem manum de tabula moveamus, de
posteriore quæstione inter nos & Calvinianos controvertitur.
An Christ⁹ sedens ad dexteram Patris in gloria & maiestate
divina, servi formam retineat, & an deposuerit? Sed responde-
tur breviter. Calviniani interpretantur phrasin Pauli, de assum-
pta natura. Ideo etiam Christum in gloria adhuc servum & con-
servum nostrum faciunt, quæ plusquam Turcica & Iudaica est
blasphemia, eum qui non servos, sed fratres & amicos appellat,
servi nomine indigetare. Hoc qui faciunt, dirimunt unum
Christum in duos, sicut Nestorius: Nos autem Dominatorem
dicimus, & Dominum omnis creaturæ, ut inquit Damascen.
lib. 3. Orth. Fid. cap. 21.

Damasc. lib. 3.
orth. cap. 21.

LXXX.

orthodoxa La-
tina.

Nos in ea persistimus sententia, quod servi forma, non
nisi de Ministerio Matth. 20. & de statu humiliationis, de con-
ditione, infirmitatibus, & de imbecillitatibus sit intelligen-
da: Et quod in statu gloriæ naturam assumptam adhuc habeat &
retineat, sed in ipsius divinitatis consortium receptam, & ad
divinam maiestatem, omnipotentiam & gloriam evehctam; &
quod caro eius deposita servi forma, & infirmitatibus, plene
iam sua maiestate utatur, sitq; *ἐν χειρὶ αὐτοῦ, κόσμος ὅλος, ἡ γαῖα,
καὶ ὕδατος, καὶ ἰσθμοῦ τῆς θαλάσσης*, ut in versibus Sybillinis scribitur.

LXXXI.

Et in libro Concordiæ scriptum est; Christus formam
servi prorsus deposuit, humanam verò naturam non deposuit,
sed in omnem æternitatem retinet. Christus enim nec servus
nec

nec confervus est in gloria, sed Dominus omnium creaturarum
De hac verò horrenda blasphemia Calvinianorum Iudaizanti-
um & Mahometizantium, videantur plura in actis Colloq.
Mompelgart. f. 346.

Colloq. Mompelgart.
fol. f. 346.

LXX XI.

Fili Dei, Iesu Christe, qui servi forma assumta, in temporis
plenitudine, & exinanitionis admirandæ statu, Maiestatem
illam divinam atq; æternam *πάσαν ἐξουσίαν* in cœlo & terra, hu-
manæ tuæ naturæ in ipso unionis momento datam atque com-
municatam, dissimulans quasi occultasti, donec ad plenariam
eiusdem usurpationem, ascensione tua & sessione ad dexteram
Patris, es ingressus; **TIBI DOMINO NOSTRO**, vera fide
& humilitate, ut vivamus, atq; moriamur, effice, ac tandem
depositis imbecillitatibus singulis & universis, & mortalitate
corporis nostri, gloria perfundamur, & lætitia perfruamur,
quam non oculus vidit, non auris audiit, nec mens hominis
pectusq; potest concipere, divinæ naturæ participes tuæ, &
salvi, seculis infinitis. **A M E N.**

Conclusio.

Gal. 4.

Phil. 2.

Dan. 7.

Matth. 28.

Eph. 1. 4.

Rom. 14.

Isa. 64.

2. Cor. 6.

2. Pet. 1.

Δόξα τῷ Θεῷ.



Faint, illegible text at the top of the page, possibly bleed-through from the reverse side.

LXXV

Main body of faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.



Aug. VI 63

ULB Halle

3

003 877 892



Sb.








B.I.G.

Farbkarte #13



DE DVABVS
NATVRIS IN CHRIS-
STO, DIVINA ET HV-

MANA, EX DICTO PAULI,
AD PHILIPPENSES 2.

THESES

QVAS

SVB AVSPICIO OMNIPO-
TENTIS DEI:
PRÆSIDE

SAMVELE FISCHERO, D.

PRO SVMMO IN THEOLO-
GIA GRADV CONSEQVENDO,
publicè tuebitur

REVERENDVS ET CLA-
RISSIMVS VIR, DN.

M. ANTONIVS PROBVS
STOLBERGENSIS, ECCLESIAE
Vinariensis Pastor, ac reliquarum, in Illustrissimo
SAXONIAE Ducatu Superintendens Genera-
lis, & Consistorij Vinariensis Af-
fessor &c.

*Die Maij 4. hora & loco
consuetis,*

F E N Æ

Typis Tobia Steinmanni.

ANNO M. D. XCIII.

15

